15

# DE CATHEDRA SANCTI PETRI ORATIO

HABITA IN BASILICA VATICANA

Die 18. Januarii 1763.

AB ALDERANO ALLEGRINI.



ROMÆ M.DCCLXIII.

EX TYPOGRAPHIA VATICANA,

Apud Fratres Salvionos.

*SUPERIORUM FACULTATE.*

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

# CLEMENTI XIII.

PONTIFICI MAXIMO

ALDERANUS ALLEGRINI

*FELICITATEM.*

UT hanc qualemcunque de Sacra Sancti Petri Cathedra orationem tuo nomine, BEATISSIME PATER, cohoneſtari optarem, fecit ipſa operis

ratio, atque indoles. Cui enim hæc inſcribantur potius, quam tibi, qui Cathedram, de cujus laudibus hæc ſcripta ſunt, obtines tanta cum laude: atque ejus, a quo illa primùm eſt conſtituta, non modo locum tenes; verum etiam virtutes imitaris? De quibus ne dicere audeam mea me imbecillitas; ipſarum magnitudo; tua etiam iſta modeſtia deterret. Unam tamen commemorabo ex omnibus: ſingularem videlicet quandam Petri ſucceſſore, Chriſtique Vicario dignam Clementiam, ac bonitatem. Quam quidem ego non modo audivi prædicari ab omnibus; verum etiam

expe-

Digitized by Google

experiendo ipſe didici quanta eſſet; cum me tibi ſummi Sacerdotii ſuprema dignitate vix aucto vigiliolarum mearum primitias offerentem perbenignè ſuſcepiſti; tuumque patrocinium expetentem non es aſpernatus. Hæc me eadem nunc timentem, ac tantæ Majeſtatis luce perculſum recreat, erigit, bene ſperare jubet; atque adeò confidere futurum, ut æquo animo patiare hoc quidquid eſt tuo tanto, tamque auguſto nomine inſigniri; atque ex eo lucem, qua prorsùs caret, adſciſcere. Reliquum jam eſt, BEATISSIME PATER, ut ego Deum Opt. Max. enixè deprecer, ut San-

ctitatem tuam communi Chriſtianæ Reipublicæ præſidio, felicitati, atque ornamento ſoſpitem, & incolumem quam diutiſſimè ſervet: Tuque mihi Sacratiſſimos pedes deoſculanti, quam humi provolutus efflagito, benedictionem impertiaris.

ORA-

Digitized by Google



# ORATIO.

QUÆ ab Urbe condita tam longo ſæculorum curſu Romanos occupaverat, tranſverſoſque ad omnia impietatis genera agebat, nefanda Religio; ejus latiſſimè patens imperium coerceri cæptum eſſe; Audaciam, truculentiamque præſenti virtute contundi; triumphalibus ornamentis expoliari jure meritoque lætari quotannis ſolemus; atque huic lætitiæ ne lateat in occulto, ſed prodeat, ſeſeque efferat in apertum, vocem conjungere Oratoris. Qua quidem clade ſuperſtitionem pulchrè, magnificèque affectam eſſe conſtat, cum in florentiſſimæ hujus Civitatis ſinu Apoſtolorum Principis Cathe-

dra; illa videlicet DeiSedes, &Agni, eſt collocata: cum ſimpliciſſimus vitalis aquæ fluvius de Sede eadem procedere cæpit; nempè Evangelicæ prædicationis virtus ex Cathedra hac, tanquam ex fonte ad Gentes dimanare univerſas: cum lignum vitæ in ripa ejus fluminis conſitum fructus ſuaviſſimos, atque uberrimos extulit; ſuos ſcilicet Chriſtus Vicarios in Cathedra illa poſitos ſingulari cura proſequutus, veræ ſolidæque doctrinæ per eos pabulo Populos nutriit; atque ad æternæ ſalutis portum mortales compulit ab illo miſerè aberrantes. In hac collati nobis beneficii anniverſaria celebritate, cui nullæ non debentur lætantis, ac ſummo gaudio triumphantis animi ſignificationes, hoc certè grati animi Deo Opt: Ma: juſtum, piumque officium perſolvamus, ut munificentiam tantam jucunda commemoratione recolamus. Et quoniam beneficium, quod accepimus, quantum ſit, intelligi nequit, niſi rei, quæ data eſt magnitudo, & præſtantia intelligatur; age, hæc Apoſtolorum Principis ſedes Romæ conſtituta, quam præſtans, quamque divina res ſit, perpendamus. Quod quanquam deſpero, me cumulatè præſtare poſſe hac ingenii tenuitate, atque inopia doctrinæ; tamen conabor, ac faciam, quoad potero, ſi tua me primùm clementia, BEATISSIME PATER; deinde horum etiam, qui adſunt benevolentia ſuſtentarit. Ac

Digitized by Google

Ac profectò ſacram hanc beati Petri ſedem magnum eſſe quiddam, præſtans, divinum, quod non humanæ vires, opeſque conſtituerint, ſed Dextera Domini, & brachium Sanctum ejus, manifeſtò declarat ejuſdem tanta, tamque admiranda in omne ævum ſtabilitas. Videri quidem poterat vetus Romanæ potentiæ amplitudo nullum habitura finem. Verùm quæ Urbs ad tantæ Magnitudinis culmen fuit evecta, ut cæteras omnes ſplendore, divitiis, Principatus majeſtate ſuperaret; quæ totius penè terrarum Orbis Imperii Clavum, & gubernacula tractare conſuevit; quæ remotiſſimas etiam regiones ita armorum terrore perculit, ut contrà ejus faſces ne moliri quidquam, aut hiſcere quidem auderent; ea etiam viciſſitudini, eventibuſque temporum fuit ſubjecta, quibus res omnes antiquantur, atque obſoleſcunt. At quam aliter res ſeſe habuit, poſtquam rerum omnium moderator Deus in Chriſtianæ Religionis commodum omnipotenti nutu convertit, quæ ad hujus Civitatis amplificandam gloriam mortalium vires fuerant molitæ? Octo ferè ſupra decem decurrerunt ſæcula, ex quo Apoſtolica Cathedra hìc fuit erecta; atque hæc Urbs potentiſſima, unde in omnes Terræ regiones protendebantur Imperia, ea fuit, unde in omnes mundi plagas puriſſima fidei lumina



Digitized by Google

latiſſimè ſunt propagata: quæque Domina gentium erat, Mater, & Magiſtra omnium Eccleſiarum evaſit tanto cum gloriæ incremento; ut ſuperſtitioſa portenta, abominandæ ſuperbiæ faſtum, Trophea ſcelerum, & humanarum rerum inconſtantiam cum amplioris, glorioſioriſque Imperii firmitate nunquam periclitatura commutaverit; ut nunquam antea cogniti poſtremorum Indorum, Sinarumque Populi eam coluerint, obſequioque non ficto, nec a timore orto obſervarint; ut Infernorum etiam Poteſtates illius nutui, & auctoritati parere, ſeque ſubmittere ſint coactæ.

Hæc Imperii ab Apoſtolica Cathedra profecti diuturnitas mirum in modum cauſam confirmat. Quanto autem clariùs oſtendit hujus Jeruſalem muros a Deo ipſo fuiſſe ædificatos, quod videmus omnes, adverſus ſtabilitatem hanc potentiſſimorum hominum conatus, vaferrimorum Hæreticorum machinamenta, Tartarorum denique conjuratas vires fruſtrá conſpiraſſe; eoque potius eventu, ut tum vel maximè Apoſtolica Cathedra fortiſſimos (a) Principum, & Poteſtatum; mundi rectorum tenebrarum harum impetus compeſcuerit, enervarit, perfregerit; cum hi ab illa evertenda, & funditus delenda pro-

(a) *Epheſ.* 6. 12.

Digitized by Google

propius abeſſe videbantur. Longum eſſet omnia perſequi; propoſitæque mihi in dicendo brevitati non conſentaneum; ac vobis antiquitatis omnis adeò ſtudioſis, eaque ſcientibus permoleſtum. Illud tantummodò in memoriam revocetis velim, hoſce omnes infenſiſſimorum hoſtium tantos motus, tantaſque turbas eo demùm evaſiſſe, ut non ſolum portæ inferi non prævaluerint; verum ut beati Petri Cathedra quo magis fuit vexata, eo ſe magis in dies ſingulos confirmarit; atque illam, quæ undique oppugnabatur dignitatem, majeſtatemque ſuam non modo retinuerit, verum etiam amplificarit. Quæ cum ita ſint; cum, inquam, conſtet, ejus veluti greſſus eo tempore fuiſſe glorioſiores, firmioreſque, quo ei neceſſe fuit (a) ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulare, & conculcare Leonem, & Draconem, quis ibit inficias ipſi de ſancto miſiſſe Deum auxilium; Deumque unum poſuiſſe inimicos ſuos ſcabellum ſuum?

Quod quidem multo etiam apertiùs fiet ſi cogitemus, cujuſmodi hominum opera uſus ſit ad hanc molem tam amplam, ac tam diuturnam extruendam ſummus ejus Auctor, ac fabricator Deus. (b) Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat fortia; & ignobilia mundi, & contem-

(a) *Pſalm.* 90. (b) 1. *ad Corinth.* 1. 27.

Digitized by Google

temptibilia elegit Deus; & ea, quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret. Scilicet Petro opus tantum commiſit: (a) Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Homo nullis Majorum imaginibus commendatus; nullis litterarum ornamentis præditus; iis denique omnibus præſidiis deſtitutus, quæ ad tantæ rei molitionem neceſſaria videbantur; coactuſque piſcationis arte victum ſibi quæritare id tantum opus perfecit: Ille Ille, inquam, in hac Cathedra ſedens errantes, ac devios mortalium greges ab infelicibus vepretis, & ſaltibus ad læta Dei paſcua, caulaſque traducere cœpit; Ille conſulares homines; Ille integras Philoſophorum ſcholas ſibi dicto audientes reddidit, ob novæ doctrinæ veritatem pudore ſuffuſas, ac ſtupore perculſas; Ille demùm commendatæ a nobis nunquam nutaturæ ſtabilitati inſerviit. Hæc ita facta eſſe, qui cogitet, dubitabit manum excelſam feciſſe hæc omnia: (b) Dexteram Domini feciſſe virtutem: a Domino factum eſſe iſtud, quod eſt mirabile in oculis noſtris?

Magna ſunt hæc, BEATISSIME PATER, argumenta ad Apoſtolicæ Cathedræ divinam quandam magnitudinem, ac præſtantiam declarandam, quod tamdiù incolumis permanſit; quod in-

(a) *Matth.* 18. (b) *Pſal.* 117.

Digitized by Google

incredibiles pugnas pertulit; quod tanto ab hoſtibus incendio tam ſæpe excitato nunquam non ex eo pulchrior, ac florentior evaſit; quod hæc denique facta ſunt per eos homines, qui ad tantam rem præſtandam minimè omnium idonei videbantur. Quid rectæ fidei normam, ac bene vivendi præcepta quod tam conſtanter retinuerit, atque in omnes gentes propagarit, parumne demonſtrant non humanum eſſe hoc opus, ſed prorſus a Deo profectum? Huic Huic uni Apoſtolicæ Cathedræ licet, Auguſtino teſte, gloriari, ac verè de ſe prædicare, eandem atque ab exordio virtutem ſuam regnare; eandemque veritatem, unitatemque vigere. Quod quidem quantum ſit quis non intelligit? Eſt hoc uſitatum, quaſique inſitum a natura hominibus, ut facile ſententias, voluntateſque commutent; ut levitate quadam elati Poſteri ea improbent, quæ Majores ſummo conſenſu probaverunt. Hanc homines intrinſecus inhærentem cupiditatem, conſuetudinemque ab ipſis Parentibus hauſtam ut prorſus abijcerent; extraneamque ab ipſis arriperent cogitandi formam, quis potuit efficere, niſi ille, qui (a) mirabiliter illuminat a montibus æternis; quique (b) Domui ſuæ ſanctitudinem (eſt elargitus) in longitudinem dierum? Erumpant

(a) *Pſal.* 75. (b) *Pſal.* 92.

Digitized by Google

pant jam, erumpant impiarum ſectarum aſſeclæ; atque hiſce telis confixi a nunquam tanto temporis intervallo immutata fidei, & vivendi ratione arceſſitis, videant re etiam, atque etiam introſpecta; meditentur aliquid; experiantur, num poſſint eadem in nos tela retorquere: excutiant diligentiſſime Doctrinam ſuam omnem, monſtruoſaſque noviſſimè invectas opiniones; laborent ut non inferius illis vindicent ornamentum, ac paribus, ſi poterunt, nos vulneribus confodiant.

Profectò quamvis frontibus præditi ſint omni pudore deſtitutis, oraque præſeferant duriſſima; tamen non poſſunt, quin horum armorum aſpectu deterreantur. Inanes in eo poſitas curas debilitatas agnoſcunt, ac plane fractas; ſeque ipſos verbis vulneratos, promeritiſque conviciis confectos, ac trucidatos. Tenebrarum Principes cum hominum Cathedræ adjunctorum inſolitam, miramque frequentiam animadvertiſſent; vehementiſſimè veriti ſunt, ne ſi totis viribus ſeſe opponere negligerent, penitus eorum Imperium dextrueretur, quod tantulo tempore adeo jam fuerat imminutum. Quoties præcipiti, effrænataque rabie acti, licet optimè intelligerent præripi ab ipſis non poſſe Apoſtolicæ Cathedræ gloriam jam deſponſatam, illi conſilio



Digitized by Google

ſilio applicuerunt animum, ut ſaltem ſectatorum ſuorum pectora, omnium turpitudinum pabulo, & glande corrupta impellerent ad importunum, atque immane probrorum venenum adverſus ejus doctrinam evomendum; & ad ipſam, ut aliquid de illibata docendi, ſentiendique integritate remitteret, accerrimo, longoque bello diſtinendam? Quid ego hic temporis impeditus anguſtiis pluribus vel eos nominem, qui aperto impetu, atque irruptione hanc etiam ob cauſam Cathedram aggreſſi ſunt; vel eorum fraudes, inſidiaſque explicem, qui ſpecie quadam Sanctitatis omnia metientes, virus quo ignarorum pectora inficere curabant, mirificè contegebant; vel Regum acerbiſſimas referam minas, ut Cathedra eadem a ſua Sanctitate ad eorum errores deflecteret aut amplectendos aut non inſectandos? Quam autem in irritum tot conatus ceſſerunt? Stetit per Deum immortalem, æternumque ſtabit Sacra beati Petri Cathedra. Irriſit ſuperioribus ætatibus ſemper, atque divina ope ſuffulta nunquam deinceps temulentorum hominum corroboratam audacia nequitiam pertimeſcet. Neque illud eſt prætermittendum glorioſiſſimas exteras nationes, ac potentiſſimos Reges contemptum, atque odia eorum, qui terga verterunt illuſtriori obſervantia ab ipſis poſtre-

mis

Digitized by Google

mis Mundi plagis excitatos, rependiſſe, ut Cathedræ eidem aptari poſſe illa Dei verba videantur: (a) pro eo quod fuit derelicta.. ædificarent filii peregrinorum muros ſuos, & Reges eorum miniſtrarent ſibi. Jam vero ut ad propoſitum tota hac in oratione ſcopum revertamur, ſi doctrinæ a Cathedra hac diſſeminatæ, propugnatæque conſtantia a tanto ſæculorum ſpatio repetita tantum præbet argumentum ad ejus ortum a Deo ipſo tutiſſimè repetendum; quanta virium acceſſio illi argumento fiet, ſi rationes hæ omnes recenſeantur, quibus conſtantia eadem fruſtrà ſæpiſſimè fuit impetita?

Nunc quoniam tum anguſtia temporis, tum rei perſpicuitas longiorem reſpuit orationem, nihil jam reſtat aliud, niſi ut vos horter, atque obſecrem, quod adhuc egregiè feciſtis, idem ut præſtetis in poſterum: nempe ut documenta a Cathedra hac profecta, quam altiſſimè, firmiſſiméque fieri poteſt veſtris mentibus hæreant; abſolutiſſimè pectora, animi motus, actioneſque ſingulas regant aſſiduè. Non eſt, mihi credite, ad Catholici nominis ornamentum nobis vindicandum ſatis, ut, tales nos dicamus, tales ab aliis nominemur. Danda eſt opera atque hùc omnes induſtriæ nervi contendendi, ut primum quiſque intelle-

(a) *Iſa*. 60.

Digitized by Google

intellectum ſuum ad ea omnia amplectenda, quæ ab Apoſtolica hac Cathedra ſancita ſunt, & docentur, renuentem haud experiatur; ac deinde ut ab ea vivendi ratione nunquam diſcedat, quæ cum hauſta Doctrina omnimodam habeat affinitatem. Profecto qui ſummorum Pontificum ſcita, Sanctiſſimaſque ceremonias, & bene vivendi veriſſima præcepta in animum immiſerunt; in ſecretioribus pectoris receſſibus recolunt, ac verbis etiam ab obtrectatoribus protuentur: Qui a vitiis, atque omnibus peccandi illecebris animo utuntur quotidie magis alieno: qui nihil putant ſibi enixiori eſſe ſollicitudine expetendum; niſi laudem, atque honeſtatem: in ea autem perſequenda omnes labores, vigilias, ipſaque vitæ pericula parvì eſſe ducenda; hi erunt veri, germanique Catholici, digni hoc honore, ac nomine. Qui vero nefariis perditorum hominum, hæreticorumque ſenſibus animum tantiſper, licet latenter, applicuerint; puriſſimaſque aquas ex Cathedra hac manantes vel minimum faſtidiverint; qui ita ſe gerunt, ut abhorreant a virtute, ac nequiſſimas conſectentur voluptates iis haud Catholici laus tribuenda; ſed vel hæretica prorſus pravitate infecti reputandi; vel odio habendi tanquam illorum amici, atque affines. Ab omni igitur huic Cathedræ infenſorum opinandi, viven-

vivendique genere ſimus remoti, ne aut opinionum perverſitas, aut laxius vitæ inſtitutum ad internæ ſaltem deſertionis ſcopulos, ac Syrtes nos etiam impellat; aut certè nobis jure objici poſſit, habere nos nomen a moribus alienum: verſari nos, ac ſentire cum bonis; non tamen eorum facta imitari.

FINIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google